



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Doctrina 4. Desumpta ex residuis hujus libris capitibus, in quibus describitur subsidium Angelicum, Hebræis è Cœlo missum. Judæ Machabæi exhortatio de fuga peccati, de cura pro sacrificio mortuorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

## Doctrina 4.

Desumpta ex residuis hujus libri capitibus, in quibus describitur subsidium Angelicum, Hebraeis à Cælo missum. Jude Machabæi exhortatio de fuga peccati, de cura pro sacrificio mortuorum.

Considera: **P**lis Christianis cum invisibili hoste pugnaturis idem ob. N.430. tingere, quod teste S. Scriptura cap. 11. obtigit Machabæis, cum visibili hoste pugnaturis: nam mittitur Angelus, qui eos præcedat, ut asserit regius Vates Psal. 33. *immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Viditque Joannes Apocalyp. 20. *Angelum descendentem de Cælo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit Draconem serpentem antiquum.* Junior Tobias tali custodiâ præmonitus Assmodæum de septem viris triumphantem felicissime superavit. Sicut lacertula conspiciens serpentem homini insidiantem, quantocius involat in faciem ejus, vellicandô dormientem excitans, ut sibi à periculo vitæ eaveat; ita Angeli custodes hominem in præsentis salutis periculo versantem hortatibus suis excitant, ut Sacro præsidio firmatus animæ suæ caveat. De tali ergo cœlestium militum custodia & ope certus, quid quæso adversi à tartareo hoste timeas Christiane? hinc instar Machabæorum audacter in aciem contra eos progredere: id unicum agens, ut nihil agas, quod purissimos Angeli tui oculos offendat: sicut enim fumus ardet apes, & foedus odor expellit columbas, ita peccatum abigit aligeros hosce milites. In quo-  
ris angulo, admonet S. Bernardus. *Angelo tuo reverentiam habe, nec audeas illò præsentem, quod me vidente non auderis &c.*

Porro sub nomine albi illius equitis, qui Machabæos tam fortiter in pugnam accendit, poterit non incongruè intelligi bona hominis conscientia, quæ albâ Innocentiæ veste induta, ad quavis obvia hominem animat pericula, nullatenus timenda. Noverant hoc ipsi Ethnici: & hinc Bias interrogatus: *quid in vitâ metu careret?* reposuit *bona conscientia.* Et Socrates quæsitus: *qui sine perturbatione viverent?* respondit; *qui nihil sibi conscii sunt.* Planè sicut ericius in globum convolutus, & in medios canes projectus nihil vulneris pertimescit, sic conscientia criminis nescia, in extremis etiam periculis stat intrepida atque secura: quinimò instar balenæ se gerit, cò-  
jucun-

E c c c 2

jucundiùs ludentis, quò sæviùs infremit mare. Nequè ineptè comparatur Templo Salomonis, in quo exstruendo nullus audiebatur malleus. Rex Ezechias clypeò innocentis conscientiaë tectus, cum audiret mortis sententiam, etiam à Deo in se proclamatam, intrepidò ore respondit: *memento queso quomodo ambulaverim coram te in Veritate.* S. Martinus hanc galeam provivis infernali sese apposuit hosti dicens: *quid adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies.* Agis Rex ductus ad fatale supplicium: cum cerneret, quendam Misericordiã motum, ejus infortunio compati, & illacrymari, hilarì vultu dixit Plutarchò teste: *noli flere propter me, quia propter jus & æquum ad supplicium ducor.* Verbò: *ploret Mundus dicam cum Petro Cellens. lib. de consc. omni volubilitate circumrotetur, pereat, transeat, nunquam marcescet conscientia.* Quare hoc ultimum tibi Christiane cum Juda Machabæo inculcam documentum v. 42. cap. 12. hortante suos commilitones: *conservare se sine peccato &c.*

FINIS OPERIS,  
in honorem Illius facti, qui est  
Principium omnis Operis,



Omnium